ACAD.
LUGD. BAT.
BIBL.

Præstantissime Hugeni,

Accepi eam Eclogam, quam nuper ad nos mittere dignatus es. Cuius sua-
uitatem, et venustam elegantiam, libenter legi, et miratus sum. Eodem modo
& de Satyra non ita pridem iudicassem, nisi in Itinere quod accedebat, diu-
tius hæsissem. Quæ res tum effecit, ut quod tu γεννάδας μάλα ἐλευ-
θεριάζων, nobis objicis, de nucleo rogatus, de putamine responderim. Et
profecto, satis noui, alibi tum nos fuisse. quæ res, nisi fallor, veniam meretur.
Nam cum integras tres operas [sic] in typographia, postquam integrum bie-
nnium aut amplius sum feriatus, occupem hoc tempore, & præsertim
illo die Alcairum usque in Ægyptum, ad Episcopum Alexandrinum
præter alias non paucas scriberem, facillime euenire potuit, ut id
quod nollem, prætermitterem. Quod cruentum vellicandi verbum addis;
mihi crede et te & me indignum facis. Et non capio, quo pacto argumen-
tum vellicasse tibi visus sum, quod etiam exemplo meo approbauit, quod
typis ter aut quater iam descriptum, publice hic prostat, et ab orbe
vniuerso legitur. Quod si libere et ingenue iocari, nomen hoc meretur,
fateor me grauiter peccasse. Ante hos viginti annos Grotius et ego ita
viximus, ut de rebus omnibus quotidie et ille ad me, et ego scriberem
ad illum; sæpe ille sabbatum meum lepide perstrinxit, ego aliquid re-
posui subinde ad illius iocos, quod candorem vtriusque sine vllo felle
et acerbitate, deceret. Sæpe ad multos senatores, & nuperrime ad Tolo-
sanum quendam (qui seueritate & morum grauitate reliquis in Gallia
antistant) talia nonnulla prouocatus scripsi, cum rideret nos, quod deser-
tores Sacramenti, aliud nunc ageremus, nos vicissim illum, quod capistrum ma-
ritale, subiturus aliquando, iustas Nemesi daturus esset pœnas. Rex noster
quo in terris, salua maiestate, nihil viuit elegantius, qui stipendio nos
luculento auctos, inter aulicos asciscere dignatus est, sæpe in suorum ma-
nibus nonnulla legit, quæ ad illos scripseramus, ne illorum dicteriolis
aut nugis concepisse videremur, nonnunquam quoque nuptialia et alia id
genus, neque aliter quam risu ea prosecutus est. ~~neque~~ acne illi [quidem] de familia-
ritate nimia sunt questi. Fateor me sic scripsisse, ut quod soleo exem-
plar literarum non seruarim: certo tamen scio nihil esse in illis, quod
atrox verbum mereatur. Nam quod argumentum Eclogæ, interpret[...]
putas, bene factum iudico ac comiter: quod vero metuis ne [...]
tiæ venisse existimem, ut insaniam, hanc tuam chart[...]
ueris. Ego sane non tam rigidus sum censor, ut Plato[...]
Aristotelem, præter alios quos veteres enumerant, partim [...]
consultos, partim summæ dignitatis veteranos, ideo insanisse putem. Ut
nec hac ætate Cæsarem Scaligerum, Bembum, Sannazarium, aliosque
summi loci, ut nunc hic Episcopus et alios omittam, qualis hac ætate
nostra fuit apud nos Torrentius, cum alijs nonnullis. Puto scire te Petrarchæ
philosophica et seria, quæ multa scripsit, in honorem ἐρωτοπαιγνίαν
eius legi. Neque quisquam hactenus dementem eum indicauit. Prolixus Fla-
minij ab omnibus laudatur, neque quisquam qui eius venustate offendatur.

Pap. 2.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
PAP 2
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/95

Nemo quoque nescit, cum Idylliorum siue Eclogarum argumenta sint ἐσχηματισμένα, et aliud plerunque dicant aliud intelligant, materiam eorum antiquissimam amores esse. Quod Theocritus & Moschus, cum Bione canunt. Et quis nescit Virgilio, ob insignem morum probitatem ac verecundiam, Partheniae fuisse nomen? Tamen

Phyllidis hic idem, teneraeque Amaryllidos ignes,
Bucolicis iuuenis luserat ante modis.

Quod promittis, menses aliquot immunem ab interpellatione tua me habiturum. Praestantissime & generosae indolis atque animi iuuenis, ποῖόν σε ἔπος φύγεν ἕρκος ὀδόντων; Aut quando factum quaeso, ut de tuis literis, aut frequentia earum, conquererer? Omittamus, quaeso, haec inuidiosa, & si verum licet loqui, criminosa. quae commeruisse me non scio & si forte euenit me ignaro, culpam deprecor, & ubi voles, luam. De secundo tuo in Britanniam itinere, tibi gaudeo mihi doleo. Nam ut tu carebis patria, quod optas: ita nos interea, et usu pariter & fructu, eius amicitiae carebimus, qua nihil nobis hactenus iucundius euenit. Vale vir praestantiss. & parenti tuo, viro vere eximio cum fratre me commenda. Lugd. Bat. An. 1620. Octob. 29.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
PAP 2
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/95

© Universiteitsbibliotheek Leiden
PAP 2
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/95

© Universiteitsbibliotheek Leiden
PAP 2
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/95